



The Holy See

IOANNES PAULUS EPISCOPUS
SERVUS SERVORUM DEI
AD PERPETUAM REI MEMORIAM CONSTITUTIO APOSTOLICA **BUAKENSI*** IN LITORE EBURNEO
CONSTITUITUR NOVA PROVINCIA ECCLESIASTICA
BUAKENSI, CUIUS METROPOLITANA ECCLESIA ERIT SEDES EIUSDEM NOMINIS Quo aptius consuleretur
Evangelizationis operi in Litoris Eburnei finibus, ubi in praesens exstat tantum Provincia ecclesiastica Abidianensis,
Venerabiles Fratres Nostri S.R.E. Cardinales atque Praesules Congregationi pro Gentium Evangelizatione praepositi, re
mature perpensa habitoque faventi voto Venerabilis Fratris Ianuarii Bolonek, Archiepiscopi titulo Madaurensis atque in
eadem Natione Apostolici Nuntii, censuerunt nuper constituendam esse ibidem inter alias novam Provinciam
ecclesiasticam Buakensem nomine. Nos quidem, Successores beati Petri, de totius Dominici gregis bono solliciti, talem
sententiam ratam habemus ac sequentia decernimus. A metropolitana Ecclesia Abidianensi distrahimus dioeceses
Buakensem, Abenguruensem, Bondukuensem et Yamussukroensem atque ex his efficimus Provinciam ecclesiasticam
Buakensem, cuius Sedes princeps erit Ecclesia Buakensis, quam ad gradum et dignitatem archidioecesis metropolitanae
evehimus, omnibus datis iuribus et officiis huiusmodi Sedium propriis, assignantes eidem ceteras, quas diximus,
dioeceses uti suffraganeas. Insuper Venerabilem Fratrem Vitalem Komenan Yao, hactenus Episcopum Buakensem,
Archiepiscopum Metropolitam Buakensem renuntiamus, cunctis factis iuribus impositisque pariter obligationibus. Quae
praescripsimus exsequenda curabit memoratus Venerabilis Frater Ianuarius Bolonek, onere imposito mittendi sincerum
exemplar actus effectae executionis ad Congregationem pro Gentium Evangelizatione. Hanc denique Nostram
Constitutionem nunc et in posterum ratam esse volumus, contrariis quibuslibet rebus minime obstantibus. *Datum Romae,*
apud S. Petrum, die undevicesimo mensis Decembris, anno Domini millesimo nonagesimo nonagesimo quarto,
Pontificatus Nostri septimo decimo.

ANGELUS card. SODANO

Secretarius Status

JOSEPHUS card. TOMKO

Congr. pro Gentium Evang. Praef.

Marcellus Rossetti, *Protonot. Apost.*

Angelus Lanzoni, *Protonot.*

Apost.

*A.A.S., vol. LXXXVII (1995), n. 6, p. 541 © Copyright 1994 - Libreria Editrice Vaticana

Copyright © Dicastero per la Comunicazione - Libreria Editrice Vaticana